

dario Officium de 3 die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. M. V., cum Commemoratione Festi simplicis S. Melchiadis, Papæ et Martyris; in eam igitur transfertur Officium integrum S. Ambrosii, in quo fiet Commemoratio, tum diei infra Octavam, tum Feriæ majoris Adventus, tum S. Melchiadis.

NOTA. I. Uti patet ex responso, Officium alicujus Festi transfertur semper in diem liberam quæ sequitur Festum, numquam vero in diem quæ antecedit Festum.

NOTA. II. Translatio Officii fieri potest usque ad finem anni, nempe vulgaris, qui desinit 31 Decembris; numquam transfertur Officium ad annum sequentem. (Decret. S. Rituum Congregationis, 19 Septembris 1750, n. 2410, antiq. 4212.)

Quod si translationi Officii alicujus locus non superesset in anni decursu, ob multitudinem Festorum translatorum, tunc, juxta idem Decretum citatum, in ipsa die propria qua cadit Festum impeditum, de eo fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio historica ad Matutinum, si tamen hæc ea die fieri possunt, secus eo anno penitus omittitur Festum. (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1; cfr. § 2.) Hoc tamen in nostra Diœcesi non, aut rarissime tantum practicum est.

Quædam Diœcesium et Regularium Kalendaria tot numerant Festa et Officia propria, ex eis quæ juxta Rubricas jus ad translationem habent, ut non raro, imo sæpius dies intra annum non sufficiant pro eorum omnium translatione. Super quo plura rescripsit S. Rituum Congregatio.

A) Si sint Festa duplicia 2 classis, S. Congregatio declaravit: I. « Festa duplicia 2 classis diebus suis impedita, si dies liberi pro iis reponendis in decursu anni non suppetant, licite posse reponi ac debere in aliis diebus proximioribus, quamvis in his Festa semiduplicia, aut, in horum defectu, duplicia minora (non tamen Doctorum Ecclesiæ) occurrant, quæ pro eo anno commemoranda erunt juxta Rubricas. »

II. « In prædictis vero rerum adjunctis, ut præstantiora Officia aliis præferantur, in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus, in quibus alia Officia minus solemnia reponentur, communibus cæterum translationis regulis servatis: si nihilominus semiduplicia vel etiam duplicia ad libitum in Calendariis habeantur, hæc præ aliis de præcepto pro repositione seligantur. »

III. « Quocumque autem casu, ita Calendariorum Ordinatiores se gerere debere, ut, in unoquoque mense, nonnullos dies

liberos, quantum fieri possit, relinquunt pro Missis de Requie celebrandis. » Die 2 Decembris 1891. (Decret. n. 3756.)

B) Si sint Festa duplicia majora, sive minora SS. Ecclesiæ Doctorum, hæc ex communi lege ad instar simplicis redigenda sunt; nisi adsit speciale Indultum hujusmodi Festa transferendi in dies Festorum semiduplicium quæ proximiora sunt, ipsis semiduplicibus ad ritum simplicium redactis. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Julii 1896, n. 3925, ad IV.)

Q. 170. An dies infra Octavam libera est pro translatione Officii alicujus Festi transferendi?

R. Dies infra Octavam non privilegiatam (cfr. Q. 148), etiamsi ejus Officium sit ritus semiduplicis, quia tamen non est Festum proprie dictum, est dies libera in qua transferri potest Officium alicujus Festi impeditum. (S. Rituum Congregatio, Decret. 30 Septembris 1679, n. 1637, antiq. 2903, ad 2.)

Quoad Octavas privilegiatas animadvertendum est quod Octavæ Paschatis, Pentecostes, et Epiphaniæ nullum admittunt Officium Festi translatum; Octava SS. Corporis Christi vero admittit tantum Officium translatum Festi duplicis 1 et 2 classis; ut dictum fuit Q. 146. — Infra Octavam Nativitatis Domini occurrit dies 30 Decembris; ad dubium: « Quonam in casu die 30 Decembris reponi possit Officium aliquod translatum? » S. Rituum Congregatio declaravit: « Tunc tantum, quando die 30 Decembris fieri deberet Officium de die infra Octavam Nativitatis Domini. » (Decret. 9 Julii 1895, n. 3866, ad 2.)

Quoad diem 2 Novembris, infra Octavam Omnium Sanctorum, notandum est quod Festum duplex ex eis quæ transferri possunt, sua die accidentaliter impeditum, transferri valet in diem 2 Novembris, qua die fit solemnitas Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. (Decret. 10 Julii 1896, n. 3925, ad IV, 4.)

De eadem die sequentia declaravit et statuit S. Rituum Congregatio: « Quod si die 2 Novembris occurrat dies Dominica, vel alicubi Festum aliquod cum feriacione celebrandum, aut Duplex primæ classis, quamvis sine feriacione, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum transferatur in sequentem diem tertiam ejusdem mensis, similiter non impeditam. — Si vero in aliqua Ecclesia die 3 Novembris, in quam transferenda sit eadem Defunctorum Commemoratio, Festum duplex 2 classis occurrat, hoc Festum transferatur in primam diem liberam

270 (Q. 171) De Officiorum Translatione

juxta Rubricas. De die vero Octava, aut de Festo duplici majori, minori vel semiduplici occurrentibus, sicut de alio Festo translato, cui in Calendario locus pro eo anno non suppetat, in præfata Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum Officium fiat; sed Missæ omnes, sola ubi dicenda est Conventuali excepta, sint de requie. » (Decret. 9 Julii 1895, n. 3864, ad 2 et 3.)

Q. 171. *Quis ordo servari debet, quando plura Officia Festorum transferenda sunt?*

R. Quatuor sunt hujus ordinis regulæ:

1° Inter Officia Festorum transferenda, si diversæ sunt classis, semper prius transfertur Officium Festi quod prævalet classe. Sic Officium Festi duplicis 1 classis transferri debet ante Officium Festi duplicis 2 classis; Officium Festi duplicis 2 classis ante Officium Festi duplicis majoris; Officium Festi duplicis majoris ante Officium Festi duplicis minoris alicujus Sancti Doctoris; etiamsi Festum minoris classis prius forsan occurrerit in Calendario.

2° Inter Officia Festorum transferenda, si ejusdem sunt classis, distinguitur quodnam sit primarium, quodnam secundarium; attenditur itaque secundo Festorum qualitas, et primarium reponitur ante secundarium, utpote solemnius, etiamsi secundarium esset personæ dignioris, et etiamsi Festum secundarium forsan prius in Calendario occurrerit. (Cfr. Q. 104, ad III, et Q. 108.)

Exemplum: Anno 1897 Festum SS. Sindonis D. N. J. C. duplex majus, celebrandum Feria VI post Dominicam II in Quadragesima, occurrit 19 Martii, cum Festo S. Joseph, duplici 1 classis, et transferri debuit; Festum S. Benedicti, Abbatis, duplex majus, occurrit 21 Martii cum Dominica III in Quadragesima, et etiam transferri debuit; duo Officia transferenda sunt ejusdem classis; attamen, Festum S. Benedicti, licet sit personæ minus dignæ, et licet ordine in Calendario sit posterius, quia ipsum est primarium, jus habet ut transferatur in primam diem liberam, et Officium SS. Sindonis transferetur in sequentem liberam diem: quare in Calendario seu Directorio translatum fuit Officium S. Benedicti in diem 23 Martii, Officium SS. Sindonis in diem 24 Martii.

3° Inter Officia Festorum transferenda, si ejusdem sunt classis et qualitatis, servatur ordo dignitatis (Q. 104, ad IV), et prius transfertur Officium Festi Domi-

De Officiorum Translatione (Q. 171) 271

ni, dein Festi B. Mariæ V., etc., juxta ordinem in citata Quæstione traditum.

4° Si Festa sunt æqualia quoad classem et quoad qualitatem et dignitatem, servandus est ordo Calendarii, seu temporis; et prius transfertur Officium Festi quod prius, seu a longiori tempore in Calendario occurrit.

Exemplum: Anno 1902, tria Festa duplicia minora Sanctorum Ecclesiæ Doctorum Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, Confessoris, Joannis Damasceni, Confessoris, et Isidori, Episcopi et Confessoris, impedita suis respectivis diebus 22 Martii, 27 Martii, et 4 Aprilis, eodem Calendarii ordine translatum habuerunt Officium, S. Cyrillus in diem 7 Aprilis, S. Joannes in diem 9 Aprilis, et S. Isidorus in diem 10 Aprilis.

Ob eandem rationem censuit S. Rituum Congregatio, ubi duo Festa S. Marci, Evangelistæ (25 Aprilis), et SS. Philippi et Jacobi, Apostolorum (1 Maji) sunt juxta Rubricas transferenda, in translatione præferendum et prius reponendum esse Festum S. Marci. (Decret. 17 Julii 1706, n. 2171, antiq. 3748.) Evangelistæ enim et Apostoli æquiparantur (Q. 104, IV), et nulla adest disparitas inter translationem Festorum Apostolorum et illam Evangelistarum (Decret. 18 Septembris 1666, n. 1341, antiq. 2380).

NOTA. I. Festum aliquod quod cum Octava celebratur per se non præfertur, neque in occurso, neque in translatione, Festo quod sine Octava celebratur.

De eo quoad translationem statuit S. Rituum Congregatio, quod si dies non impedita occurrat priusquam Octava hujusmodi Festi finem habeat, hoc Festum in repositione præferendum sit aliis Festis, etiam majoris ritus, vel dignitatis, prius juxta regulas datas reponendis, quæ tamen vel non gaudent Octava, vel post suam Octavam transferuntur (Decret. 13 Martii 1804, antiq. n. 4493); cujus præferentiæ ratio est, quod Festum infra suam Octavam reputandum sit tamquam in die sua propria.

Decretum citatum e nova Collectionis Decretorum editione anni 1898 expunctum fuit, non quasi S. Congregatio revocasset privilegium translationis infra Octavam in eo Decreto concessum, sed quia novum hac super re edidit Decretum quod plura alia antiqua comprehendit, uti videre est in sequenti Nota II.

NOTA. II. « Sacra Rituum Congregatio declarat: Festum duplex habens Octavam, quando in die sua cele-

brari juxta Rubricam haud valeat et infra totam suam Octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam Octavam diem, quamvis in Dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud Festum vel ritum, vel primarii qualitate, vel dignitate superius: quo in casu Sacra Rituum Congregatio jubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam juxta Rubricas.» (Decret. 23 Aprilis 1895, n. 3853.)

Circa hoc Decretum duo sunt notanda:

1° Dominica in quam dies Octava incidit, et in quam transferri potest Festum, intelligenda est Dominica minor, non autem Dominica major, nequidem secundae classis (Q. 119).

Ubi ergo S. Andreas est Patronus loci vel Titulus Ecclesiae, quando ejus Festum impeditur per Occurrentiam Dominicæ primæ Adventus, non poterit transferri in diem suam Octavam quamvis liberam ab omni Festo, quia incidit hæc dies Octava in Dominicam secundam Adventus, quæ est Dominica major secundæ classis.

2° Si Festum impediens etiam celebratur cum Octava, Festum impeditum non poterit celebrari in die sua Octava, quia hæc est dies Octava Festi impediens: dies Octava autem cedit Festo duplici 1 classis occurrenti (Q. 159), sed non admittit Festum translatum (Q. 169).

Ubi ergo S. Dymphna, Virgo et Martyr (15 Maji), est Patrona loci vel Titulus Ecclesiae, occurrente 15 Maji Festo Ascensionis Domini, quod prævalet, non poterit 22 Maji, in ejus diem Octavam transferri Festum, quia hac eadem die celebratur dies Octava Ascensionis; — neque ubi S. Martinus, Episcopus et Confessor (11 Novembris) est loci Patronus, occurrente hac 11 Novembris Festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, quod prævalet in Ecclesiis solemniter ab Episcopo consecratis, non poterit 18 Novembris, in ejus diem Octavam transferri Festum, quia hac eadem die celebratur dies Octava Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum.

Hæc duo notant auctores super hoc Decreto, et dicunt Decretum ita esse interpretandum quasi diceret: « Festum habens Octavam, quando in die sua celebrari non valeat, et infra totam suam Octavam transferri nequeat, transferendum est in ipsam Octavam diem,

quamvis in Dominicam incidat minorem, et dummodo Octava ipsa ab Officio majori juxta Rubricas non sit impedita.» (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 307-313.)

NOTA. III. De omissione Octavæ vel partis Octavæ, in casu translationis Festi, dictum fuit Q. 144.

Q. 172. *Quæ Festa singulari gaudent translationis privilegio?*

R. 1° Festum SS. Cordis Jesu, secundarium, recollendum Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi, veluti in sede propria, ritu duplici 1 classis, si sit impeditum per aliquod Festum primum ejusdem ritus et classis, transfertur in diem immediate sequentem, etiam veluti in sedem propriam; ideoque de eo agendum est in sequenti Sabbato, in quo gaudebit iisdem privilegiis quibus fruitur in Feria VI. Itaque Festum aliquod occurrens hoc Sabbato, aut omittitur, aut translatum habebit Officium, juxta regulas in hoc Capite traditas. (S. Rituum Congregatio, Decretum Urbis et Orbis, 28 Junii 1889 n. 3712, et Decretum generale 14 Augusti 1894, n. 3838.)

Exemplum: Anno 1892, Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi occurrit 24 Junii, in Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ; huic cessit Festum SS. Cordis Jesu, sed translatum fuit in diem immediate sequentem, Sabbatum, et celebratum tamquam in die propria. Festum S. Gulielmi, Abbatis, duplex minus, cujus dies propria est 25 Junii, fuit omissum.

2° Festum SS. Nominis Jesu, duplex 2 classis, celebrandum Dominica II post Epiphaniam, occurrens cum Dominica Septuagesimæ, transfertur in diem 28 Januarii, tamquam in sedem propriam; nisi alicubi occurrat hac die Festum duplex 1 classis, aut duplex 2 classis primum; quod si occurrat hac die Festum duplex 2 classis secundarium, aut duplex majus, hoc locum cedit Festo translato SS. Nominis et transfertur; de Festo duplici minori, aut semiduplex hac die occurrente fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, cum Lectione nona historica, omissa Lectione de S. Agnete. — Festum semiduplex ad libitum S. Juliani, Episcopi et Confessoris, in Diocesi Mechli-

niensi hac die celebratum, omittitur (Q. 112); de Festo simplici S. Agnetis secundo fit Commemoratio in Laudibus tantum (Q. 164 ad 2<sup>um</sup>), cum Nona Lectione.

Hæc dispositio valet pro casu Occurrentiæ Festi SS. Nominis Jesu cum Dominica Septuagesimæ, et indicatur in Rubrica speciali Breviarii Romani ad hoc Festum; finis ejus est præcavere ne hoc Festum celebretur in Quadragesima.

Rubrica specialis Breviarii non indicat quid sit faciendum, quando die 28 Januarii occurrit Festum duplex 1 classis, aut duplex 2 classis primum. In Hispania hac die 28 Januarii celebratur sub ritu duplici 2 classis Festum S. Juliani, Episcopi et Confessoris: S. Rituum Congregatio declaravit ibi in casu die 28 Januarii faciendum esse Officium de S. Juliano, et transferendum esse Officium SS. Nominis Jesu ad primam diem liberam juxta Rubricas. (Decret. 18 Julii 1885, n. 3639, ad 3, antiq. 5944, ad 4.)

Quando præfatum Festum SS. Nominis Jesu in Dominica II post Epiphaniam impeditur per Occurrentiam cum Festo Patroni alicujus loci, aut Tituli alicujus Ecclesiæ, « Festum SSmi Nominis Jesu, in casu, transferatur ad diem 28 Januarii, nisi occurrat Festum altioris ritus, vel æqualis sed primum; quo in casu prædictum Festum transferatur ad primam diem liberam non impeditam juxta Rubricas. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Septembris 1895, n. 3872, ad 2.)

3<sup>o</sup> Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. præscriptum fuit a Summo Pontifice Pio IX celebrandum ab universali Ecclesia, Dominica I Julii, sub ritu duplici 2 classis. (Decret. 10 Augusti 1849, n. 2978, antiq. 5143.) Quod si hac Dominica occurrat Festum Visitationis B. Mariæ V., vel aliud Festum altioris ritus, aut æqualis sed primum, de Pretiosissimo Sanguine fiet prima die non impedita a Festo duplici 1 vel 2 classis, translato inde juxta Rubricas Festo duplici majori vel alicujus Doctoris Ecclesiæ; de duplici vero minori vel semiduplici occurrente fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cum Lectione nona historica.

4<sup>o</sup> Festum Annuntiationis B. Mariæ V., per Decre-

tum Urbis et Orbis, 23 Aprilis-27 Maji 1895 (n. 3850), ad ritum primæ classis pro universa Ecclesia elevatum fuit cum omnibus juribus celebriorum Festorum propriis, etsi Octava carens ob temporis Quadragesimalis rationem.

Si hoc Festum venerit Feria VI in Parasceve vel Sabbato sancto, transferendum erit in Feriam II post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriacione, et sine Octava, servato tamen ritu Paschali.

Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam II immediate sequentem: quodsi incidat in Hebdomadam majorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam II post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi Festo primario ejusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur.

Ad dubium: « Quando Festum Annuntiationis incidit in Hebdomadam majorem, potestne transferri etiam quoad solemnitatem, ad aliam diem? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Affirmative. » (Decret. 11 Aprilis 1902, *Augustana*, ad 4; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 293.)

NOTA. In Diœcesi Mechliniensi, relicta Breviarii Rubrica de Festo Annuntiationis transferendo in Feriam II post Dominicam in Albis, servatur adhuc Decretum tertii Concilii Provincialis Mechliniensis, anno 1607 celebrati, et a Paulo V approbati, quo statuitur pro tota Provincia Mechliniensi uti tunc temporis erat, quod si Festum Annuntiationis incidat in Hebdomadam majorem vel Paschalem, in casu « celebretur, juxta receptam consuetudinem, tam a populo quam a clero, Feria III post dictam Dominicam in Albis. » (Cfr. Synodicum Belgicum, Tom. I, pag. 386; Cap. V, de Festis.) Quo super S. Rituum Congregatio rescripsit, per Decretum 23 Aprilis-27 Maji 1895 non derogari particularibus locorum concessionibus. (Decret. 10 Julii 1896, n. 3925, ad VI, 1.)

5<sup>o</sup> Festum Purificationis B. Mariæ V., duplex 2 classis, celebrandum 2 Februarii, si incidit in aliquam Dominicam majorem, ex. gr., Septuagesimæ, fiunt qui-

dem in hac Dominica benedictio et distributio Candelarum, atque processio; sed Purificationis Officium transfertur in Feriam II, 3 Februarii, tamquam in sedem propriam, modo non celebretur alicubi hac die Festum duplex 1 classis in sua propria die, quo casu Purificationis Officium transferendum est ad Feriam III, 4 Februarii; si aliud Festum hac die celebraretur, transfertur hujus Officium, si ex iis est quæ transferri valeant, aut hujus fit Commemoratio juxta regulas in hoc Capite traditas.

6° Festum Septem Dolorum B. Mariæ V. celebratur in Ecclesia universali, sub ritu duplici majori, Feria VI post Dominicam Passionis. Quando hoc Festum dicta Feria celebrari nequit ob occursum alicujus Festi altioris ritus, aut æqualis sed primarii, vel potioris dignitatis, transferendum est in Sabbatum immediate sequens, simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit, eo anno omittatur.

Celebratur alterum Festum Septem Dolorum B. Mariæ V., quod Summus Pontifex Pius VII, per Decretum 13 Septembris 1814 (n. 3851, antiq. 4513), ad preces Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis, sub ritu duplici majori ad universam extendit Ecclesiam, pro Dominica III Septembris, cum Officio et Missa jam antea concessis Ordini Servorum B. Mariæ V.; de quo Festo S. Rituum Congregatio sequentia decrevit:

« Festum Dolorum B. Mariæ V., Dominica III Septembris ab universo seu Sæculari seu regulari Clero esse in tota Ecclesia quotannis celebrandum sub duplici majori ritu, firma nihilominus remanente ejusdem Festi commemoratione, quæ recolitur in Feria VI post Dominicam Passionis. Quod si ejusmodi Festum Dolorum cum alio occurrat, cui vi Rubricarum cedere locum debeat, transferatur in primam, post tertiam Septembris, Dominicam, dummodo duplici majori primario, aut alio de eadem Deipara etiam secundario, aut octava aliqua die non impediatur. Si vero Dominicæ omnes post dictam habeantur impeditæ, transferatur de more in primam diem liberam juxta Rubricam. » (Decret. 23 Aprilis 1895, n. 3851.)

Per Decretum 11 Decembris 1897 sequens variatio

inducta fuit in Rubrica speciali hujus Festi: « Impedita Dominica III Septembris ob occursum Festi duplicis 1 vel 2 classis, vel alicujus diei Octavæ, vel duplicis majoris primarii, vel potioris dignitatis, Festum Septem Dolorum B. Mariæ V. transfertur in proximiorum sequentem Dominicam, simili modo non impeditam. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, Festum Septem Dolorum ponatur, juxta Rubricas, in prima die non impedita post Dominicam III Septembris. »

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 66 et sqq., ubi longius agitur de speciali privilegio quo Sancta Sedes decorare voluit hoc alterum Dolorum B. Mariæ V. Festum.)

7° Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ celebratur die 24 Junii, ritu duplici 1 classis cum Octava. Si hac die occurrerit Festum SS. Corporis Christi, agendum erit de prædicto Festo, et Festum S. Joannis Baptistæ tunc reponatur in diem 25 Junii tamquam in sedem propriam, translato alio Festo duplici, si alibi occurrat, post Octavam, aut eo penitus omisso, juxta Rubricas; sed si fuerit 1 vel 2 classis, transfertur in primam diem Officio duplici non impeditam infra eandem Octavam. — Dies autem Octava S. Joannis, tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavæ Corporis Christi. (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1.)

8° Festum S. Joseph, 19 Martii, si occurrerit in Dominica Passionis, transfertur in 20 Martii, Feriam II, immediate sequentem; et quoties inciderit in majorem Hebdomadam, transfertur in Feriam IV post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam. (Decretum S. Rituum Congregationis, 15 Augusti 1892, n. 3789.) Si tamen occurrerit his diebus Festum aliquod duplex 1 classis primarium, præferendum illud esse Festo translato S. Joseph declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum 14 Augusti 1894 (n. 3838). Aliud vero Festum occurrens aut omittitur, aut translatum habebit Officium, juxta regulas in hoc Capite traditas.

## § 4. De Festorum mutatione, et Officiorum assignatione

In præcedenti paragrapho expositæ sunt regulæ servandæ pro translatione Officiorum in casu Occurrentiæ accidentalis; remanet ut dentur regulæ servandæ in casu Occurrentiæ perpetuæ (Q. 156); et investigandum est, quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia perpetua est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta vel Festi mutatione, vel Officii assignatione. (Q. 157, ad 4<sup>um</sup>.)

Q. 173. *Quænam Officia ab aliis perpetuo impedita, gaudent privilegio mutationis, vel assignationis?*

R. Omnia Festa duplicia, etiam duplicia minora quamquam non sint Doctoris Ecclesiæ, et semiduplicia privilegio gaudent, in casu impedimenti perpetui ex Occurrentia oriundi, nempe si quotannis seu perpetuo ab eodem digniori Officio impediuntur, ut vel ipsa mutantur, vel eorum Officia assignentur in aliam diem, tamquam in propria sede perpetua recolenda. (Rubricæ generales, Tit. X, nn. 1 et 5.)

Maxima jam statim patet differentia a regulis translationis Officiorum in casu impedimenti accidentalis ex Occurrentia oriundi; nam ibi jus ad translationem non confertur Festis duplicibus minoribus quæ non sunt SS. Ecclesiæ Doctorum, nec Festis semiduplicibus; etenim, vel de eis tantum fit Commemoratio, vel etiam penitus ipsa omittuntur (QQ. 163 et 164); hic autem, dato impedimento ex Occurrentia perpetuo, jus ipsis quoque tribuitur ut integra eorum Officia in alia die dicantur.

NOTA. Hic jam a principio notari debet privilegium concessum Festis quæ cum Octava celebrantur, qualia sunt Festa Patroni loci et Titularis Ecclesiæ. Dictum fuit Q. 144, quod hujusmodi Festa, in casu translationis accidentalis, amittunt tot dies suæ Octavæ quot numerantur a die qua Festum impeditur usque ad diem translationis infra Octavam, et quod si transferuntur in ipsam propriam diem Octavam, aut post totam Octavam, illo anno celebrantur sine Octava. — Aliquando

disputatum fuit an hæc regula applicanda sit in casu translationis perpetuæ, seu assignationis in primam diem liberam. — Quæstio resoluta fuit ab ipsa S. Rituum Congregatione; etenim ad dubium: « Si accidat ut Titulus Ecclesiæ vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, num, respective Octavam servabunt? » S. Congregatio rescribere rata est: « Affirmative, si agatur de translatione perpetua; secus, Negative. » (Decret. 20 Junii 1899, n. 4034, ad 2.)

Ergo quando Festum cum Octava perpetuo transferri debet, retinet jus ad totam suam Octavam, et transfertur etiam tota ejus Octava.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 375, 376.)

Q. 174. *Quid est Festi alicujus mutatio?*

R. Est amotio definitiva alicujus Festi a die sua propria, perpetuo impedita, ratione temporis aut ratione Occurrentiæ cum majori Festo, et in aliam diem collocatio, quæ tamquam dies propria reputabitur.

Exempla: Decollatio S. Joannis Baptistæ circa Festum Paschatis accidit; S. Jacobus Major, Apostolus, circa Pascham obiisse traditur; ratione temporis mutata fuerunt hæc Festa, in diem 29 Augusti unum, in diem 25 Julii alterum. — S. Dominicus, Confessor, obiit 6 Augusti; ejus tamen Festum e die natalitia a Paulo Papa IV mutatum fuit, ratione Festi Transfigurationis Domini, et celebratur die 4 Augusti. — Natalitia dies S. Francisci Salesii, Episcopi et Confessoris, est 28 Decembris; dies festa agitur 29 Januarii. (Cfr. Martyrologium, diversis his diebus.)

NOTA. Mutatio importat amotionem non tantum Officii, sed et ipsius Festi, ita ut dies in quam collocatur, etiamsi pro Sancto non ejus sit natalitia, seu dies in qua obdormivit in Domino, et in cælis nasci meruit, nihilominus quasi natalis illius Sancti reputetur, et tamquam propria Festa dies eligatur ab Ecclesia et determinetur, et omnibus Festi juribus gaudeat. (Cfr. Q. III.)

In mutatione alicujus Festi eligitur dies, sive sit libera sive sit jam alio Officio occupata, et non debet esse prima libera quæ in Calendario post mutandum Festum reperitur.

Hanc mutationem Festi a summa in Ecclesia aucto-